

Johannes Crocius    Georg Lettow von


**Disputatio Theologica Tertia, Qua In Apostolici Nominis Causas Inquiritur Ac Evangelica religio & Ecclesia contra Martini Becani criminationes, in quas in prioribus quatuor antithesibus erupit, defenditur**

Marpurgi Cattorum: Hutwelckerus, 1620

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746347448>

Druck    Freier  Zugang





95

52<sup>b</sup>.6.



La 1092 (95)

Tomo hoc XLVII. continentur:

1. Dithemi Icarus Academicus Norimb 1643.
2. Acclamatione pretemporaria Academiae Genesie cum eo  
descenderet idem Ditherrus.
3. Orationes inaugurales Academiae Ludovicensis Patavoru.  
Anno. 1620.
4. Polyvardi. Walai.
5. Thysii.
6. Hommii.
7. Sinapij.
8. Ravi Panegyria Orientalibus linguis Trajecti ditta. 1643.
9. Hier. Welleri Consilium de studio Theol. Rostoch 1617.
10. Simile D. Joh. Quistorpii Rostoch. 1643.
11. Iusti Jone oratio de eodem argumento. ibid. 1644.
12. Dan. Heimfii. Homulia in Natalem Domini. Lugd. 1613.
13. —. In Christi Passionem. ibid. eod.
14. Quistorpii de Vinibus Liberi Arbitrii ep II. loc III, 4. s. 1645.
15. Samhaueri Domini gloria crucifixus. 1633.
16. —. De Melchisedeco e Gen. XII. 1634.
17. Jacobus Martini de Causa Peccati. 1639.
18. —. Analysis Capituli V. ad Romanos. eodem.
19. Dorschauc De tribus testibus in Terra. 1 Jo. V, 8. 1635.
20. —. De Peccato originali. eod.
21. —. Synopsis Theol. Zacharianae.
22. —. ad Hebr. XIII, 8. 1643.
23. —. ad Act. IV, 27. 28. 1646.

24. D. Mentzerus de Ecclesia. 1608.  
 25. D. Hamelkenig de Persona Christi. 1645.  
 26. D. Cothmannig de Predestinatione. Rostoch. 1692.  
 27. ———. Pars II. ———  
 28. Jo. Croig de Orthodoxa Fidei Delecta Mamp. 1619.  
 29. ———. Vano. per Europā Doctrina cum script. s. conformitas.  
 30. ———. De Apostolici nominis causis.  
 31. ———. De Apostolica Ecclesiarū Vang. Doctrina.  
 32. ———. De Catholicismo Vot. Evangelica.  
 33. ———. De Antiquitate Relig. Evangelica.  
 34. Gocklenii Theses Apologeticae contra Finckium. 1606.  
 35. ———. De Analogia seu proportione.  
 36. Perzelius de S. Coena Stempforti 1602.  
 37. Tossani Theses contra Evangelicos. ibid. 1605.  
 38. Ravenspengeri Samson redivivus. ibid. 1619.  
 39. Heyderi Ruae quæstionum Theol. Maynurgi. 1611.  
 40. Eglani de Generaliōe Christi. ibid. 1608.  
 41. ———. De Fide justificante. ibid. 1617.  
 42. ———. De Peccato in Spiritum s. cod. 44 β. Croig de Pecc. de Baptismo.  
 43. ———. De Predestinatione. ibid. 419. Doctrina  
 44. ———. ~~Compensationem pro peccatis~~ Doctrina  
 45. Conradig Vorshig de Idolatria Pontificiorum in cultu Vrbani.  
 46. ———. Stempfort. 1608.  
 47. ———. De Idolatria eorundē in cultu sanctorum  
 48. ———. In cultu Imaginum Pontificiorum

49. P. Petri Roeshii Soc. Jes. Disputatio Paradisiaca
50. Corradi Vossii Oratio Apologetica in  
pleno Confessu Ordinum Hollandiae et Westphaliae  
Gita. Hartmanni. 1612.
51. Ebelius de Generatione et Corruptione Hom.  
Grosae. 1646.
52. — De Anima Hum. Simplicitate. 1644.
53. — Deinde IV. Conclusionum metaphysicarum. 1646.

1. 8.  
2. 3.  
3. 11.  
4. 24.  
5. 29.  
6. 2.  
7. 2.  
8. 38.  
9. 24.  
10. 39.  
11. 4.  
12. 4.  
13. 4.  
14. 4.  
15. 4.  
16. 4.  
17. 4.  
18. 4.  
19. 4.  
20. 4.  
21. 4.  
22. 4.  
23. 4.  
24. 4.  
25. 4.  
26. 4.  
27. 4.  
28. 4.  
29. 4.  
30. 4.  
31. 4.  
32. 4.  
33. 4.  
34. 4.  
35. 4.  
36. 4.  
37. 4.  
38. 4.  
39. 4.  
40. 4.  
41. 4.  
42. 4.  
43. 4.  
44. 4.  
45. 4.  
46. 4.  
47. 4.  
48. 4.  
49. 4.  
50. 4.

|         |       |
|---------|-------|
| a - a   | A - D |
| 16      | A - C |
| 35      | A - C |
| 30      | A - C |
| A - C   | A - C |
| 20      | 65    |
| 40      | A - C |
| A - B   | 48    |
| -       | A - C |
| A - B   | 16    |
| 35      | A - C |
| B - 36  | A - C |
| A - 00  | A - C |
| A - C   | A - C |
| A - 00  | A - C |
| A - B   | A - B |
| A - D   | A - K |
| A - 00  | 51    |
| 40      | 24    |
| 128     | 24    |
| 72      | 20    |
| A - 00  |       |
| A - D   |       |
| 14      |       |
| 16      |       |
| 32      |       |
| A - G B |       |
| A - C   |       |
| A - 00  |       |
| A - C   |       |
| A - C   |       |
| B - G 1 |       |
| A - D   |       |

DISPUTATIO THEOLOGICA  
TERTIA,

*Quâ*  
IN APOSTOLICI NOMI-  
NIS CAUSAS INQUIRITUR AC EVAN-  
gelica religio & Ecclesia contra Martini Becani cri-  
minationes, in quas in prioribus quatuor anti-  
thesibus erupit, defenditur,

*DEI assistente gratiâ,*  
Præside

IOHANNE CROCIO S.S.  
THEOLOGICÆ DOCTORE, ET E-  
jusdem in Academia Marpurgensi Pro-  
fessore primario,

*Publicè in Theologorum Auditorio proposita,*

*Respondente*

GEORGIO von Lettow in Wisse! PHILOSO-  
phiæ Doctore, Equite Pomerano.

Marpurgi Cattorum,  
Ex Officina Rodolphi Hutvvelckeri,  
Anno M D CXX.

30.  
28  
3  
4  
29  
3  
38  
39  
4  
42  
50  
43  
44  
44  
48  
47  
46





REVERENDISSIMO, ILLUSTRISSIMO, GE-  
nerosissimoq; Principi ac Dn.

DNO, WILHELMO,  
LANDGRAVIO HASSIÆ, COMITI IN CAT-  
zenelnbogen, Dietz, Ziegenhain & Nidda &c. Postula-  
to Administratori Hersfeldensi, NEOGAMO, Domi-  
no meo Clementissimo,

*NAM quem te memorem, Princeps Wilhelme, propago  
Principis Hassorum Magni Generosa Parentis  
Mauritii, decus æternum, columenq; piorum?  
Cui nunc Hannoverico Illustri de stemmate virgo  
Auspicijs nabit latis, Superumque favore,  
Insigni virtute, venustatisq; decore,  
Omnibus & numeris ornata decenter ad unguem.  
Onimis optato sæclorum tempore juncti,  
Salvete Heroes! Mea Dissertatio vestris  
Applaudit radis, & prospera quaq; precatur,  
Ut quo junguntur se inter, metuentes resobor  
Fœdere cum CHRISTO desponsa Ecclesia Sponso;  
Hoc etiam Heroas constringat copula amore,  
Conservetq; diu, Genitore superstite, salvos.*

Hanc disputationem Theologicam offerens  
ac dedicans, animitus gratulabar Cliens humillimus

Georgius von Lettoun Eq. Pom.



POSITIO I.

**R**eligionem, quam Evangelicam per Europam ecclesia profitetur, non esse veram, proinde non ejusmodi ad quam homo tuto se possit recipere, Pontificij iurati veritatis & ecclesie hostes multis argumentis orbi Christiano persuadere cupiunt.

2. Etsi verò à præclarissimis partium nostrarum Theologis eruditè & solidè veritas à multis iam annis sit defensa, ea tamen est hominum istorum malitia & impudentia, ut malint novos colores mendacis asferre, quàm veritati sine fucò manus dare.

3. Quocirca opera pretium facturi videmur, si maculas, quibus recentiores Papista imprimis Martinus Becanus, Smiglecius, Lancelottus &c. religionem & ecclesiam nostram conspergunt, modestè diluamus. Isti enim clamant, non esse apostolicam, non Catholicam, non antiquam, non Hierosolymis profectam, non ab antiquitate ad nos successivè deductam, non conformem primitivæ ecclesie, non unam, non sanctam, non semper efficere sanctos homines, non illustratam miraculis, non convertere gentiles, hæresibus ostium non claudere, à blasphemis dogmatibus non abstinere, vertiginosas scripturæ interpretationes non averfari, non legitimè propagatam esse: clamant à novis hominibus denominari, manus in Dei verbum inycere, deniq; habere doctores mala fame, & à Deo non missos. Ut mirum non sit, Imperatoribus, regibus, principibus, regnis, civitatibus, orbi exosam esse fidem, quæ his coloribus picta in conspectum producitur.

4. *Martinus Becanus libro, quem scripsit, de ecclesia Christi, Romana & reformata, questione tertiâ, conclusione 4. ecclesiã, quam vocat reformatam, in qua sunt Lutherani &, qui vocantur, Calvinista, adeoq; illius fidem apostolicam nõ esse, suscipit probandum. Cùm eo hac vice nõbis res erit. Sectione primã expendemus causas, propter quas ecclesiã apostolicam vocari, Becanus scribit. Secundã religionem & ecclesiã nostrã contra Jesuitæ criminationes defendemus. Deus, qui ipsa est veritas, in veritate tuenda & profligandis calumnijs infirmitati nostræ vires, quod calidissimis votis precamur, benignè sufficiat.*

---

## SECTIO PRIMA.

I.

**E**CCLESIAM Christi quadruplici de causa apostolicam vocari Becanus contendit. Primò, quia in apostolis initium habuit. Secundò, quia ab Apostolis per totum terrarum orbem fuit propagata. Tertiò, quia sequitur doctrinam Apostolorum. Quartò, quia retinet successionem Episcoporum ab Apostolis nunquam interruptam.

II.

Ad primam rationem Resp. I. Cùm Ecclesia in Apostolis dicitur initium habuisse, vel de doctrina, vel de persona sermo est. Si de doctrina sermo sit, agnoscimus ecclesiam in apostolis initium habuisse. Illa enim est semen, è quo ecclesia est nata 1. Pet. 1. 23 illa est fundamentum, Eph. 2. 20. Hæc autem fuit antequam essent Apostoli, quippe qui non novam attulerunt doctrinam, sed veterem act. 26. quam etiam Christus traderat. Proinde hæc ratio hoc quidem sensu cum tertia coincidit. 2. Ecclesia Christi dicitur in apostolorum personis initium habuisse, vel ut primis fundatoribus, vel ut primis auditoribus. Neutrum scripturæ autoritate confirmatur. Utrumque verò destrui-

destruitur. *Prius*: quia Christus docuit priusquam ullos constituit apostolos Matth. 4. 17. Marc. 1. 15. Postquam v. aliquandiu ipse duodecim apostolos docuit, ad docendum misisse legitur, Matth. 10. Marc. 3. Luc. 9. *Posterius*: Nam Johannes Baptista suos auditores ad Christum adduxit Matth. 3. Johan. 1. adeo ut quicumque ei crediderunt, membra Christi ecclesie sint facti: multos autem credidisse, antequam apostoli a Christo sunt designati, testatur scriptura. 3. Apostoli desertam Phariseorum synagogam ad Christi ecclesiam acceperunt; Non igitur haec in ipsorum personis initium habuit. 4. Si perstes in sententia, Christus non habuerit ecclesiam antequam eam fundarent apostoli. Absurdum consequens. 5. ecclesia quae est corpus Christi, in capite initium habet: apostoli vero non sunt ecclesiae caput: sed Christus Eph. 5. 6. Ecclesia Christi, asserente Bellarmino l. 4. de not. Eccles. c. 5. non fuit nova ecclesia. Non igitur coepit in personis apostolorum. 7. Interim non negamus ecclesias particulares & quidem multas in apostolis initium habuisse, modo adversari concedant multas quoque quae apostolicae vocantur, in apostolorum personis initium non habuisse, cum multae ab aliis sint fundatae, quibus tamen apostolicas vocari non est negatum.

### III.

Ad secundam Resp. concedimus. Propagarunt enim religionem & ecclesiae fines per sermonem & per epistolam. partem autem differt haec ratio a tertia.

### IV.

Ad tertiam respond. Eam exosculamur, & contra omnes inferorum portas religionem & ecclesiam nostram hoc uno aheneo muro communimus; Etiam contra Becanum! Quaecumque ecclesia doctrinam apostolorum sequitur, ea est apostolica & fidem veram tradit, in qua homo servari potest: At Evangelica per Europam ecclesia doctrinam Apostolorum sequitur. Ergo est apostolica & habet fidem, in qua homo servari potest.

A 3

Ad

## V.

Ad quartam respon. Ea verò fingitur 1. præter scripturam. Nusquam enim ecclesiæ ab Apostolis fundatæ Episcoporum successio non interrupta, qualem fingunt Papistæ, promittitur, 2. Contra scripturam. Ea enim prædicit Antichristum sese oppositurum & elaturum adversus quicquid dicitur DEUS, aut numen, ad eò ut in templo DEI sedeat, præ se ferens se esse DEUM. 2. Theff. 2. 4. Cum quâ prophetia figmentum successionis Episcopalis consistere non potest. 3. Contra antiquitatem. Omnium vox est, quam Tertullianus nobis reliquit, libr. de præscript. adversus hæret. *Non ex personis fidem, sed ex fide personas probari oportet.* Et Nazianzenus de laudibus Athanasii; *Qui eandem doctrinam profitetur, ejusdem throni particeps est, qui v. contrariam doctrinam amplectitur, adversarius censei debet etiam in ipso throno.* Hinc verò conitat ecclesiam non vocari apostolicam propter perpetuam Episcoporum successionem. Nisiingas unam eandemquè ecclesiam rectè simul dici posse apostolicam & non apostolicam: apostolicam propter Episcoporum successionem; non apostolicam propter doctrinæ apostolicæ desertionem, quâ ratione Arriana Ecclesia in oriente fuerit apostolica, quia apostolis doctores successerant.

## VI.

4. Evertit seipsam. Requiris enim eam vel ut præcisè necessariam ad  $\tau$  esse ecclesiæ, vel ad benè esse. Si ad  $\tau$  benè esse solum requiritur, 1. ubi hoc sensu apostolicam ecclesiam invenies? 2. poterit esse ecclesia apostolica sine ista successione. Quod enim solum ad  $\tau$   $\epsilon\upsilon\ \epsilon\lambda\upsilon\sigma\iota$  requiritur, sine eo res esse potest. Si ad  $\tau$  esse necessariam dicas, multa opono, 1. ecclesiæ initium: Quod enim ad  $\tau$  esse est præcisè necessarium, sine eo rei initium esse non potest: At sine successione Episcoporum ecclesia fuit apostolica. Ergò. 2. ejusdem progressum. In universo orbe non datur successio Episcoporum non interrupta. Aut

igitur

igitur ecclesia nulla superest, quæ sit apostolica, aut personalis illa successio ad eam non est necessaria. De omnibus præter Romanam concedunt ipsi adversarii. In Romana verò multis modis esse interruptam, infra cum Deo, ad oculum ostendemus. 3. Interim quæro, Num eadem sit nominis ratio in ecclesiis particularibus, quæ in catholica? Si eandem asseris, jam tuos homines dubitare iubes, num Ecclesiæ per Germaniam, Galliam, Poloniam, Hispaniam papisticæ sint apostolicæ, donec in omnibus & singulis successionem ab apostolis non interruptam ostendas. Si diversam statuis, hujus diversitatis causam è scriptura cognoscere cupimus.

VII.

5. Quæro de successionis fundamento. Illud enim ponitur vel in toto apostolorum collegio, vel in singulis apostolis, vel in uno aut pluribus ex illis. Hic eligat Becanus quod volet. De apostolis agit non de apostolo. Num igitur in pluribus, non autem in uno collocat? In *universis* collocare non audeat: Ita enim romanam synagogam subverteret, super unum Petrum fundatam, & repugnaret propriis principiis. Talis enim successio ab ipsis traditur ubi unus uno tempore eam dignitate gaudet: quod falsum est, si à collegio toto dependere dicatur. In *singulis* non potest, nisi ea demum sit apostolica ecclesia, in quâ à primis apostolorum temporibus in hanc usque diem ostenditur, qui quibus apostolis successerint, v. gr. quinquam Philippo, qui Matthæo, qui Paulô, qui Jacobo, qui Johanni &c. In uno quidem Petro Lancelottus collocat in hæretico Quare p. 119. quo ferè tendit Pontificiorum labor, cum in unius Petri successione confirmanda sunt occupati. At duo hic quærimus: Unum est, cur potius illa apostolica ecclesia sit dicenda, quæ habet Episcoporum successionem à Petro non interruptam, quâ quæ habet ab Andrea, vel Jacobo: Primatum enim quem prætendunt, nusquam scriptura asserit, ubiq; verò cum Petro refutat.

tar.

rat. Alterum, ubi Christus hanc successionem ad solum Petrū alligaverit, & hinc veram sive fidem, sive ecclesiam infallibiliter agnoscendam statuerit?

II X.

Lancelotum, cui apostolicam ecclesiam unā Petri successionem definiisse satis est, refutat Becanus, cū plures rationes affert. Nos ergo hoc labore super sedemus. Interim falsum est, quod Lancelotus addit, solam ROMANAM propter excellentiam à veteribus apostolicam esse appellatam. Contrarium vetustatis scripta testantur. Rhenanus argum. in Tertullian. de præscript. docet, inquit, quidem Tertullianus in præscript. unam esse aliquam ecclesiam ex qua reliquæ; hanc autem nullo loco affigit. Quamquam honorifico laudis elogio romanam exornat ecclesiam, non tamen tantam illam facit, quantam hodie fieri videmus; nam inter apostolicas ecclesias illam enumerat, non solum facit apostolicam, id est, summam eam facit, non summam. Nec patrocinator Lanceloti commento Hieronymus, cū ad Damasum scribit, beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri communionem consocior. his enim verbis nihil minus dicit, quàm solā Romanam esse apostolicam, etsi ei quandam prærogativam concedat; idque communi errore deceptus, q̄ Petrus 25. annis Romæ præfederit, id quod falsum esse historia luculenter testatur.

IX.

Concludimus ergo. Cujus fundamentum est fictitium, & apostolicis scripturis ἀνάγνωσεν, ab eo ecclesia non vocatur apostolica. Successionis Episcopalis ab apostolis non interruptæ fundamentum est fictitium & apostolicis scripturis ἀνάγνωσεν. Ergo à successione Episcopali ab Apostolis non interrupta ecclesia non vocatur apostolica.

X.

Minor probatur. Quod nam enim est fundamentum? I. Petri

Petri primatus 2. universalis Episcopatus, 3. Pontificatus 25. an-  
nis Romæ administratus. At verò I. primatus refutatur 1. à  
Christo, qui plures apostolos constituit; jam nulla est ministri  
ecclesiastici major persona quàm apostolica. 2. A Paulo, qui  
se Petro æqualem fecit, & ei in faciem restitit, etiam Jacobum  
præponit, Galat. 2. 3. Ab apostolis, qui sine ullo Petri manda-  
to diaconos constituunt actor. 6. 2. 5. 6. ipsum verò Petrum mit-  
tunt Samariam cum Johanne actor. 8. 14. 4. ab ipso Petro, qui  
metuit Jacobum Galat. 2. & primatum in sua epistola impro-  
bavit. II. Universalem Episcopatum tollit actio Hierosoly-  
mitana, in qua circumcisio Petro, Paulo autem & Barnabæ præ-  
putium obvenit. Gal. 2. III. Figmentum de cathedra Romæ  
25. annis occupata, historia, ut diximus, refutat. Nam ante  
Hierosolymitanum concilium Petrum Romæ præsedisse, nul-  
lo argumento constat. Vidit eum Paulus Hierosolymis ter-  
tio suæ conversionis anno, vidit rursus post annos quatuor-  
decim, id est, 9. Claudii, & 51. à nato Christo. Iverit eo anno  
Petrus Romam, quod nemo facillè probaverit: præfederit an-  
nis 25. Ita mors incidet in annum 76. qui est sextus Imperii Ve-  
spasiani; Ergò præfederit sex vel 7. annis à morte. Mirum eccle-  
siam à mortuo capite regi! Historici enim scribunt ipsum sub  
Nerone cum Paulo trucidatum esse.

## SECTIO SECUNDA.

### I.

**I**AM quæritur, an evangelica ecclesia sit apostolica? Nos affir-  
mamus ex ratione secunda & tertia. Becanus negat. Homi-  
nem audiamus. *At hæ, inquit, cause non possunt accommodari  
ecclesia Reformatæ.* Non possunt? Id verò unde constat? *Et qui-  
dem, inquit, de duabus prioribus certum est.* Quibus, inquam

B

ego,



ego, argumentis? *Nam, inquit, ecclesia reformata nec in apostolis initium habuit, sed in Luthero & Calvino: nec ab apostolis, sed à discipulis Lutheri & Calvini propagata est.* Res. 1. Nec Christi Ecclesia in apostolorū personis initium habuit, sed in Christo. 2. frustra in Luthero & Calvino religionis nostræ initium quæritur, quam ab ipso Christo traditam confirmamus. 3. ab apostolis verò propagatam esse, ex disputatione secunda luce meridiana fit clarius. Quicumque enim fidem scripturæ conformem tenent, eorum ecclesia & fides ab apostolis est propagata. Atqui Evangelici tenent fidem scripturæ conformem. Ergò. 4. Huic non obstat, quòd Lutherus & Calvinus, eorumq; sectatores superiore seculo fidem ex tenebris in lucem protraxerunt, ex angustis in orbem Christianum propagarunt.

II.

Reliquas duas explicandas Jesuita censet. Nos non explicandas solum sed & probandas judicamus. de quarta autem aliàs, Deo volente, videbimus. Jam tertiam expendemus. Glorietur verò adversarius, quòd Ecclesia reformata non sequatur doctrinam apostolorum, variis exemplis demonstrari posse. Nempe si fidem hosti habeas, ecclesia Evangelica est apostolica, non apostolica. Enumerat autem decem exempla, quibus apostolicæ & nostræ doctrinæ contrarietatem in aprico constitui existimat. Quatuor priores jam videbimus: proxime reliquas.

ANTITHESIS PRIMA.

*Apostoli docent, scripturam s. in multis difficilem esse intellectu 2. Pet. 3. 14. Contrarium docet Lutherus in prefat. art. à Leone X. damnatorum.*

III.

Resp. 1. Scripturam sacram in multis obscuram & intellectu difficilem esse, omnes fatemur. Vide confessiones publicas & scripta privata W itakeri, Kimedoncii, Fra. Junii, Hieronymi Zan-

Zanchii &c. apud quos complures obscuritatis causas è patri-  
bus repetitas invenies.

2. In iis verò, quæ ad salutem scitu sunt præcisè necessaria,  
planam, apertam & perspicuam esse, affirmamus; idq; ex men-  
te Prophetarum & apostolorum Psal. 119. 105. 2. Pet. 1. 19. *Ha-  
bemus, inquit Petrus, firmiorem sermonem Propheticum, cui re-  
ctè facitis quòd attendatis velut lucerna splendenti in obscuro lo-  
co usq; dum dies illucescat & lucifer exoriatur in cordibus vestris.*

IV.

3. Non alia Lutheri mens fuit in præfatione articulorum,  
ubi de dogmatibus ad salutem scitu necessariis locutus est. Ce-  
terùm nec ignoravit, nec diffeffus est multa obscura in scriptu-  
ris occurrere. Vide lib. de serv. arbitr. contra Erasum ubi 1. o-  
mnes articulos fidei perspicuè propositos esse contendit. 2. ob-  
scuritatem & intelligendi difficultatem ex hominum cœcitate  
& ignorantia oriri docet ex 2. Cor. 3. 14. 15. & 4. 3. 3. inter ipsa do-  
gmata, qualia in se sunt, & quatenus in scriptura proponuntur,  
distinguit. Multa in se esse difficilia nec à nobis capi concedit,  
interim pertendit scripturam satis perspicuè, quatenus nobis  
ad salutem satis est, de iis agere, ut etiam laici cum fructu eam  
consultant. 4. denique inter obscuritatem & claritatem exter-  
nam & internam discrimen constituit. Si de interna sit sermo,  
nihil perspicuum, omnia sine Spiritus Sa. internâ luce obscura  
esse monet ex illo Psalm. 14. *dixit inspiens in corde suo, non est  
Deus.* Sin autem externa obscuritas & perspicuitas intelliga-  
tur, omnia dogmata isto modo in lucem esse producta in verbi  
ministerio. tom. 3. Jenens. lat. mihi fol. 163. a. b.

V.

4. Nec verò solus nec primus Lutherus istam docendi  
viam est ingressus. Ante hunc dixit Chrysostronus homil. 3. in  
2. Theff. *Omnia clara sunt & plana in scripturis divinis.* Intelli-  
ge scitu necessaria. Antè Augustinus l. 2. de doct. Christ ca. 6.

*Magnificè & salubriter Spiritus S. ita scripturas modificavit, ut locis apertioribus fame occurreret, obscurioribus autem fastigia detergeret. Nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperiat. Antè Irenæus lib. 3. c. 15. Apostolorum doctrinam manifestam & firmam esse dixit. Hos ergo apostolorum doctrinam retinuisse nega, aut Lutherum cum ipsis retinuisse agnosce.*

VI.

5. Petri dictum nos non ferit. Nam 1. quædam obscura esse ipsi docemus, quod ille monet. 2. Petrus obscuritatem nō tam in epistolis Paulinis, quàm in rebus ipsis collocat, id quod ex articulo fæminino patet, qui non ad epistolas, sed ad <sup>18<sup>av</sup></sup> illud, quod præcedit, refertur. 3. nec etiam tantam obscuritatem esse docet, quæ omnes laicos ab epistolarum lectione merito arceat, etsi in indoctos & instabiles invehatur.

ANTITHESIS SECUNDA:

*Apostoli non docent, Deum incitare quenquam ad peccatum  
Jacob. 1. Lutherus & Calvinus docent contrarium,*

VII.

Respon. I. Subiectum peccati formaliter dicti, quod materiale vocant, semper est bonum. In uno a. motu seu actione sæpè duo diversissima concurrunt, sc. culpa & pœna, seu iudicium: unde vulgari loquendi ratione peccata subsequenter dicuntur præcedentium pœnæ, non quod peccatum formaliter sit pœna, sed quod pœna cum eo sit conjuncta. quod Calvinus diligenter in hac materia considerandum esse monet lib. de ætern. Dei prædest. p. 730.

Duplex ergo est impulsus: Unus ad culpam; alter ad pœnam.

IIIX.

110-2. *Impulsus ad culpam proficiscitur à malo, fit contra legē & hominem in exitium præcipitem agit. Estque à sanctissimo Deo*

Deo alienus, convenit autem diabolo, mundo, carni. Hæc est Jacobi omnium Prophetarum & apostolorum cōsensu firmata doctrina; hæc est totius Evangelicæ ecclesiæ unanimis confessio. Vid. Conf. Helvet. prior. c. 8. Basiliensem a. 2. Gallicanam, art. 8. Belgicam art. 13. Augustanam art. 19. Quam fidem Calvinus & Lutherus sanctè custodierunt. Quorum ille com. in Jaco. 1. Becani calumniam solidè refutat. *De tentationibus*, inquit, ergo internis hic tractat, quæ nihil aliud sunt quàm inordinati appetitus, qui nos ad peccandum incitant. Illorum auctorem merito Deum esse negat; quoniam ex carnis nostræ corruptione manant. Hæc admonitio valdè necessaria est, quia nihil hominibus est magis usitatum, quàm malorum, quæ quisquam perpetrat, culpam aliò transcribere: tunc enim maximè videntur sibi liberari, si eam in Deum derivent. Hoc tergiversandi artificium à primo homine traditum sedulo imitamur. Hæc de causa Jacobus nos ad proprii reatus confessionem vocat, ne Deum substituamus nostro loco, ac si nos ipse ad peccandum impelleret. Vide eundem de occulta Dei provid. p. 742.

IX.

3. Impulsus ad pœnam fit in violatâ lege, tendit ad exercendum justum judicium & manifestandum Dei gloriam. Et hic non est à Deo alienus, quia est justissimus. Nec ullâ ratione criminis suspicione Deum involvit. Etsi enim inordinatio eidem actioni seu operi inhæret, cui conjunctum est divinum judicium, illa tamen ab hoc magis differt, quàm tenebræ à luce. Proinde tum Satanæ, tum hominum voluntates per se jam malas ad ulciscendum peccata Deus ita movere potest, ut tamen ipsius operis malitiam, per quod vindicta exercetur, nec agenti infundat, nec in eâ inclinât, impellat. v.g. Deus impellit regē Assyriæ ad bellum contra Israël. Quomodo verò? Deus non impulit ad ipsam tyrannidem, non ad odium, sed ad ipsam bellum, quatenus puniendis Israëlitarum peccatis serviebat.

B 3

Quam

Quam doctrinam qui Prophetis & apostolis contrariam pro-  
clamat, scripturam intelligere non videtur, aut malitiosè per-  
vertere. quid enim clariùs iùto impulsu asserti possit? Quis præ-  
cepit Simeï ut malediceret Davidi? Deus, 2. Sam. 16. 6. Quis ad-  
sibilando vocavit gentes à finibus terræ contra Judæos? Deus  
Jesai. 5. 26. Quis exacerbavit corda Ægyptiorum adversus Is-  
raëlem? Deus. Psalm. 105. 25. Nec video quomodo judiciorum  
suorum ministros *virgam iræ suæ* Jesai. 10. 5. *Ezech. 7. 11. Cestra,*  
*instrumenta bellica.* Jerem. 51. 20. *rete, sagemam* Ezech. 12. 13. *secu-*  
*rim & ferram* Jesai. 10. 13. *gladium* Ezech. 21. 3. *conductam nova-*  
*culam* Jesai. 7. 20. appellare queat, nisi quidam impulsus & in-  
clinatio ad opus ratione judicii seu vindictæ ipsi concedatur.

X.

His ergò Prophetis Calvinus non veretur accedere, qui  
nequaquam de malitia & peccato quà tali, sed de hoc judicio  
loquitur, cùm DEO malarum voluntatum inclinationem ad-  
scribit, quod Becanus didicisse poterat ex ipsius commentario  
in cap. primum Jacobi, ubi ait, *Cùm veram exactionem vel ob-*  
*durationem cordis tribuit Deo, neq; illi initium assignat, neq; fa-*  
*cit mali auctorem ut culpam sustinere debeat. In his autem duo-*  
*bus solum Jacobus insistit. Scriptura reprobos à Domino conjeci as-*  
*ferit in prava cupiditates. an quia Dominus cor eorum depravet*  
*vel corrumpat? Minimè. Ideo enim subjicitur pravis desiderijs,*  
*quia jam corruptum & vitiosum erat. An verò cùm excecatur*  
*vel indurat, peccati auctor est vel minister? Imò hoc modo pec-*  
*cata ulciscitur, justamq; mercedem impijs rependit, qui spiritu suo*  
*regi abnuerunt. sequitur ergò neq; peccati originem esse in Deo,*  
*neq; illi culpam imputari posse, quasi ex malis voluptatem capiat.*  
*Summa est, frustra à hominem tergiversari, qui vitiorum suorum*  
*culpam rejicere in Deum conatur: quia non ex alio fonte prove-*  
*niat, quicquid est malorum, quàm ex per versa hominis concupi-*  
*scientia. Atq; ita sanè res habet, NON ALIUNDE NOS IM-*

PELLI:

PELLI: Sed cuiq; pravum suum affectum esse ducem ac impulsorem.

XI.

At Calvinus libr. i. instit. c. 18 §. 2. docet, Assyrios certâ DEI destinatione impulsos fuisse ad prædandum & similia flagitia militaria. & §. 4. hominem iusto DEI impulsu agere, quod sibi non licet, id est, hominem iusto DEI impulsu peccare. Resp. 1. Si Calvinus alicubi ex humana infirmitate cespitâvit, agnoscimus lapsum, non verò tangit nostra ecclesias tanquam super eum non fundatas. 2. Hic innocenti fit injuria. Quicquid enim de impulsu tradit non ad culpam sed ad iudicium DEI refert. quod ex §. 2. est manifestum. ubi ait, *similiter apud Jesaiam contra gentem fallacem missurum se Assyrios pronunciat, ac præcepta daturum, ut auferant spolia & diripiant prædam. Jesai. 10. 9. Non quia impios & præfractos homines docere velit ad spontè parendum, sed quia flexurus sit ad exsequenda sua iudicia, perinde ac si iussa ejus animis insculpta gestarent. Unde apparet certâ Dei destinatione fuisse impulsos.* Glossema verò de impulsu ad peccandum ex malitiæ Jesuiticæ officina est productum. Calvinus siquidem §. 4. hominem etiam cùm in alios peccat, Dei iusto iudicio inservire tradit, id quod est totius scripture vox & constans sententia. quam vide expositam lib. i. instit. c. 14. §. 17. & homil. 59. in 1. Sam. 16.

ANTITHESIS TERTIA:

Apostoli docent, hominem in multis actionibus habere usum liberi arbitrij, ita ut liberum ei sit, v. g. vel matrimonium contrahere, vel continentiam servare, 1. Corint. 1. 36. Contrarium docent Lutherus & Calvinus, asserentes hominem in nulla actione habere usum libertatis, sed à Deo, tum ad bene tum ad male operandum necessitate quadam compelli.

Resp.

## XII.

Resp. Nec nostræ ecclesiæ, nec duo ejus fidelissimi ministri, quos Becanus allatrat, omnem libertatis usum homini in omni actione denegant. Retinent verò sacram doctrinæ formam ab apostolis & Prophetis, nobis commendatam. Non autem uno modo de omni statu loquuntur, ut nec de omni actione. Quadruplex est status, innocentiæ, peccati, gratiæ, gloriæ. Actiones sunt variæ, naturales, partim naturales, partim voluntariæ, civiles, ecclesiasticæ, morales, spirituales; quo præsupposito talis est nostra sententia. I. Libertas à coactione & necessitate physica est voluntati essentialis. Si enim voluntas cogi posset, jam non esset voluntas sed noluntas. Si à principio externo ad unum necessariò determinaretur, esset violenta impulsio, vel propensio naturalis, vel <sup>formi</sup> iudicio & cognitione destituta. Id verò universa scriptura negat.

## XIII.

2 Essentialis illa libertas est à voluntate inseparabilis. Proinde manet in omni statu, etiam peccati & miseræ. Vide confessionem Helvet. priorem cap. 9. 3. Libertas illa in omni statu pendet à Dei consilio & providentiâ à qua regitur, adeò ut sine ea nihil possit agere, teste scripturâ, Jerem. 10. 23. Proverb. 21. 1. Actor. 2. 23. & 3. 17. 18. Actor. 4. 27. quo differt à libertate Dei, cujus voluntas non aliunde regitur juxta Psaltem Psalm. 115. 3. Daniel. 4. 13. 4. In innocentiæ statu libera erat hominis voluntas ad bonum & ad malum, seu liberè eligebat bonum, ita tamen ut etiam posset malum eligere, posset persistere in bono, Deo conservante, posset etiam deficere ad malum, Deo deferente, Genes. 1. 26. Eccles. 7. 30. Syrach. 15. 14. Vide confess. Helvet. priorem cap. 9. Gallicam art. 9. Scoticanam art. 2. Belgicam artic. 14. Saxoniam c. 1. Wirtembergicam loc. de peccato.

## XIV.

5. In actionibus malis libera est voluntas. Homo enim nō

CO2-

coactus, sed suâ sponte peccat inter duo mala liberrimè eligit,  
& quò fert animus, se liberè applicat. Ita Apostoli & Prophe-  
tæ. Ita cum illis nostra ecclesia.

XV.

6. Idem tamen homo, qui volens peccat, servus est pecca-  
ti, ut non possit non peccare. Quæ necessitas peccandi non  
magis in homine irrogenito, quàm in Satana libertatem tollit.  
Ita universa scriptura Genes. 6. & 8. Rom. 7. & Johan. 8. 34. Et  
ex ea nostra ecclesia.

XVI.

7. In actionibus *merè naturalibus*, qualis est concoctio a-  
limenti &c. nulla est libertas; in actionibus *partim naturalibus*  
*partim voluntarijs*, cujusmodi est ambulare, stare, sedere, ede-  
re, bibere, voluntas est libera. In *civilibus* v.g. venditione, em-  
ptione, locatione, conductione &c. similiter voluntas horum  
vel illorum liberè se inclinât. huc pertinet libertas, de qua a-  
postolus, 1. Cor. 7. 33. agit. In *externè honestis* v.g. cùm Ethnicus  
lapsus erigit, incendium restinguit, patriam tuetur, &c. De-  
nique in *politia ecclesiastica observatione* est quaedam volunta-  
tis libertas. Id quod scriptura testatur & nostræ ecclesiæ pro-  
fitentur. Vid. aug. conf. art. 18. Saxoniam Synodo Tridentinæ  
oblatam cap. 5. Helveticam priorem cap. 9.

XVII.

8. In actionibus & habitibus spiritualibus, v. g. salutari  
DEI cognitione, amore, fide, resipiscentia, nullæ sunt liberi ar-  
bitrii vires, nulla propensio, nulla dispositio. Quam doctrinam  
ex scriptura nostræ ecclesiæ hauserunt. 1. Cor. 2. 14. 2. Cor. 3. 5.  
Ephes. 4. 18. Rom. 1. 21. & 8. 7. Psalm. 14. & 53. Johan. 6. 44. Ezech.  
36. Matth. 7. 18. Ephes. 2. 1. 5. Col. 2. 13 vide conf. aug. ar. 18. Hel-  
veticam priorem c. 9. Gallicam art. 12. Anglicanam anno 1562.  
Londini scriptam ar. 10. Scoticanam ar. 3. Belgicam ar. 14. Wir-  
tembergicam loc. de pec.

C

9. In



## XII.

9. In statu gratiæ, in *initio* quidem conversionis homo se merè passivè habet, nec ullam ex se habet activitatem, quâ se gratiæ applicet, aut credat, sed tantùm potest resistere DEO vocanti, non tamen cogitur converti, sed ex nolente fit volens efficacissimâ suasionè & operatione Dei: Regenitus verò in *progressu* DEO operante liberè cooperatur, quæ libertas, sicut tacita sunt regenerationis incrementa, ita ipsa quoque crescit; ita tamen ut nihil nisi ex Dei gratia possit, multiplex a. remaneat infirmitas, & sæpè gravis sequatur exorbitatio carne ad tempus reluctante. Ita ex scriptura nostræ ecclesiæ. Ezech. 11. 9. 36. 26. 27. Jerem. 31. 18. 33. Ephes. 2. 1. 2. 3. Johan. 1. 13. & 3. 6. Rom. 7. 21. 22. 23. 24. Gal. 5. 17. Phil. 1. 6 & 2. 13.

## XIX.

10. In statu gloriæ voluntas erit libera tantùm ad bonum: Immutabiliter enim in bonum feretur, sublatis omnibus peccati reliquiis, quæ toto hujus vitæ curriculo etiam sanctissimis adhærescunt. 1. Cor. 13. 10. Ephes. 5.

## XX.

Jam neminem multiplex Becani calumnia latere potest: prima, quòd Lutherus & Calvinus OMNEM libertatem homini adimant. Secunda, quòd in OMNI actione usum libertatis negent. Tertia, quòd à Deo homo tam ad bonè quàm ad malè agendum necessitate quadam compellatur. Portenta ista abominantur Dei servi, eandem nobiscum fidem ex scriptura retinentes.

## XXI.

Quod v. Lutherus in assertione articulorum à Leone X. damnatorum tom. 2. lat. Jenens. mihi fol. 312. liberum arbitrium *figmentum in rebus, seu titulum sine re vocat*, sapienter est accipiendum. Primò n. libertatem in sui præparatione seu dispositione ad gratiam *figmētum vocat*, quòd homo nulla plañera.

nè ratione ex se præparare se possit ad suscipiendam Dei gratiã; idq; juxta scripturam Johan. 15. 5. Genes. 6. & 8. Rom 8. Deinde liberum arbitrium non esse divinæ providentiæ legibus exemptum, nec quicquam præter Dei consilium & voluntatem posse eligere ac statuere, docet; Eò quòd via non sit hominis, nec viri sit ut dirigat gressus suos ex Jerem. 10. Quem sensum improbare non potest, qui scripturas reveretur. Cæterum non simpliciter omnem libertatem in omni opere à Luthero negari, ex visitatione Saxonica constat, unde ipsius verba Johannes Mulhusinus olim Becani collega in sua de libero arbitrio disputatione anno 1602. habitâ repetit, part. 2. thes. 19. pag. 26. Imò etiam in articulis ex Augustino arbitrium liberum proficitur ad peccandum.

XXII.

Becanus duo Calvinii principia ex libr. 3. instit. c. 23. §. 6. & 8. objicit, quæ cum arbitrii libertate negat consistere. Unum est, *omnia quæcunq; fiunt in hoc mundo, fieri Deo volente & ordinãte.* Alterum, *voluntatem Dei esse necessitatem rerum.* Respon. 1. Prius principium non Calvinii sed Dei vox est. Univerſa enim scriptura testatur, nihil in mundo fieri, quod Deus non decreverit sive facere, sive permittere, nihil quod non sapienter ad suum finem ordinaverit. de bonis res est manifesta. De malis vide actor. 2. & 4. 2. Qui hoc principio libertatem tolli putat, à scripturæ veritate longissimè discedit. Ea quippe Deum omnia ita regere docet, ut unam quamq; creaturam suos motus agere sinat. Nempe Deus decreto de Josepho vendendo ipsius fratribus agendi libertatem non ademit. Genes. 37. 27. 28. c. 42. 21. c. 44. 16. c. 45. 5. 7. 8. c. 50. 17. 20. Deus crucifixionem Christi decreverat actor. 2 & 4. quis verò Judæos Jesum liberè crucifixisse neget? Deus Christi passionem ordinaverat. Christus tamen liberrimè passus est & mortuus, Johan. 10. 17. 18. Quid? Ipse Becanus decretum Dei, quo constituit nobiscum concurrere

rete in agendo, arbitrii libertatem non tollere, agnoscit theol.  
schol. part. 2. cap. 11. q. 8. n. 5.

X X I I I.

3. Alterum principium, Becane, cur Calvino potius quã  
Augustino tribuis, ex quo ille repetit? Nempe ne secundum æ-  
quitate legem interpretandum veniat, quã Augustino te ob-  
strictum sentiebas. Sensus est, quicquid Deus fieri vult, id infal-  
libiliter fieri; quia nec in intellectu error, nec in voluntatem  
mutatio cadit. Ea est nec essitas consequentis, seu eventus. Quã  
nec inferitur necessitas consequentiã, nec tollitur voluntatis  
libertas v.g. Deus voluit Christum pati & sic introire in gloriã  
suam: hinc necessarium erat, Christum pati, necessitate conse-  
quentis, seu infallibilitatis; quod Christus ipse asserit, Lucã. 24.  
26. Num hac necessitate libertatem voluntatis servatori adẽ-  
tam dices? Ita nempe Deus eventum moderatur, ut volunta-  
tem nec cogat, nec ad unum oppositorum instar agentium na-  
turalium determinet.

X X I V.

Quã de peccandi necessitate, quam reprobi evadere non  
possunt, ex sectione nona repetis, Calvinus in opponentis per-  
sona recitat, & refutat. Vide locum si cavillandi studium absit,  
omnia sunt plana. Necessitas peccandi est pœna, quam homo  
liberi arbitrii ab usu sibi attraxit. Est enim factus servus peccati;  
venditus sub peccatum. Ex necessitate ista reprobos evadere  
non posse, ex scriptura est manifestum. hanc verò pœnam re-  
probos justo Dei judicio adeoq; ordinatione subiisse, quis du-  
bitet? omnis enim pœna à Deo est decreta; Aut ergò peccandi  
necessitatem pœnam esse nega; aut à Dei judicio & ordinatio-  
ne pendere agnosce.

ANTITHESIS QUARTA:

*Apostoli docent, Deum optare & velle, quantum in ipso est,  
ut omnes salvi fiant, & nemo pereat. 1. Tim. 2. 4. 2. Petr. 3.  
9. contrarium docet Calvinus.*

Resp.

## XXV.

Resp. 1. Quis ex Calvinii verbis Becanum de totius reformatæ ecclesiæ fide judicare docuit? Etsi ille exerraret, negarem tamen ecclesiam nostram secessionis ab apostolis factæ jure accusari.

2. Deum velle omnes homines salvos fieri non minùs nostræ ecclesiæ profitentur, quàm ipsi apostoli. 1. Tim. 2. 4. 2. Petr. 3. 9. Nec id unquam Calvinus est diffessus.

## XXVI.

3. Variè autem resista tum à veteribus tum à recentioribus explicatur. de generibus singulorum & voluntate efficaci exponit Augustinus, quem ex scholasticis sequitur alicubi Durandus, Bassolis, Richardus. Idem Augustinus lib. de prædest. ca. 8. reduplicativè interpretatur, quod velit omnes salvos fieri, non quia omnes velit servare, sed quia nullus servatur nisi per ejus voluntatem. Alii de singulis generum quidem intelligunt, sed hi rursus variè loquuntur. Quidam exponunt de voluntate antecedente, quâ Deus vult aliquid secundum se non habitâ ratione circumstantiarum. Alii de voluntate signi: alii denique de voluntate conditionata. Quid ergò dicemus? Nulla istarum interpretationum est falsa, nulla hæretica. Quod nobis hoc loco sufficit. Alia enim est quæstio, quanam sit genuina locorum expositio.

## XXVII.

Calvinus, Beza, & alii sequuntur Augustini primam *ἐπισημασμένην* *velat*. Lutherus alicubi secundam: damnare eos verò hoc nomine Becanus non potest, nisi Augustinum & seipsum damnet. Augustinū, quia inde nostri deprompserunt: seipsum, quia voluntatē de omnium & singulorum salute inefficacē vocat, theol. schol. pa. 1. c. 11. q. 1. n. 5. Lombard. 1. s. d. 46. 9. Alex. Ale. & alii schol. ib. de voluntate signi exponunt, quos cū damnare Bec. nolit, nō potest nostros, qui istum loquendi modū retinēt in crimen vo-

care. Nos cū multis, de voluntate antecedēte seu conditionata interpretamur, quā Deus omnes & singulos homines vult salvos fieri, nisi ipsi per peccata sua impediunt, sed credant & respiciant. Ita ipse etiam Becanus interpretatur ib. cap. 18. quæ. 1. n. 6. & 9. c. 14. q. 4. n. 12. Agnoscimus ergò simplicem in Deo complacentiam, quā ipsi omnium salus placet, quam & singulis daret, si conditionem salutis implerent.

XXVIII.

Becanus nominatim Calvinum fidei apostolicæ desertæ accusat, eò quòd scribat, 1. Dei nutu fieri, ut aliis ultrò offeratur salus; alii ab ejus aditu arceantur. lib. 3. instit. c. 21. §. 1. 2. non omnes pari conditione creari, sed aliis vitam, aliis damnationem æternam præordinari. ibid. §. 5. 3. homines nudo Dei arbitrio citra proprium meritum, in æternam mortem prædestinari, c. 23. §. 2. 4. à Deo esse creatos, quos ad exitium ituros sine dubitatione præsciebat, id quæ ita factum, quia sic voluit. ib. §. 5.

XXIX.

Ad 1. resp. 1. Ex Calvinii sententia neminem Deus suo nutu ab aditu salutis arceat, qui adire eam cupit. 2. Dei nutu quosdam peccatores à salute arceri, quam vis sine violentia, nō tam Calvinii, quàm Pauli vox est, Rom. 9. 18. *Miseretur cuius vult, & indurat quem vult.* vide Matth. 11. 25. 26. 3. Mero autem Dei nutu & arbitrio cuiquā salutem denegari citra respectum peccati, nec verò est consentaneum, nec à Calvinio ibi traditur. 4. Si verò quæras, cur potius hos quàm illos à salute reprobaverit, cū omnes mortis essent rei, præter Dei nutum & merum arbitrium scriptura nullam causam nobis insinuat. Quòd Calvinus digitum sæpius intendit. Vide Rom. 9. 11. 12. 13.

XXX.

Ad 2. resp. 1. Omnes, qui creantur, conditione naturæ pares esse, Calvinus constanter cum Paulo asserit ex Rom. 3. 23. Ephe. 2. 1. 1. Cor. 4. 7. 2. Discrimen inter eos Dei arbitrio constitui, dicit

dicit ex eo qui dicit; *Jacobum dilexi, Esavum odio habui. Rom. 9. 13. ex Malach. 1. 23.* 3. Quibusdam vitam, aliis damnationem præordinari non Calvini, sed Dei vox est in scripturis revelata, *Prov. 16. 4. Rom. 9. 22. 23. 1. Thess. 5. 9. Jude v. 4.*

XX XI.

Ad 3. resp. 1. Lapsus sit ea in re Calvinus: non tangit nostras ecclesias, quæ neminem nisi propter peccatum ad aternam mortem destinatum esse, palam profitentur. 2. Nectamen isto etiam loco omnem planè respectum peccati submovet: postquã enim § 3. quæstionem sibi movit, cur Deus ab initio ad mortem aliquos prædestinaverit, inter alia respondet his verbis: *Qualiter peccato vitiatum sumus omnes, non possumus non esse Deo odiosi, idq. non tyrannicam sevitiã, sed æquissimã justitiã ratione. Quod si iudicio mortis obnoxij sunt omnes naturali conditione, quos ad mortem Dominus prædestinat, de qua obsecro, ejus iniquitate erga se conquerantur? Veniant omnes filij Adami, cum suo creatore contendant ac disceptent, quòd aterna illius providentiã, ante suam generationem perpetua calamitati addicti fuerint. Quid obstrepere adversus hanc defensionem poterunt, ubi Deus illos ad sui recognitionem contra vocabit? Ex corrupta massa si desumpti sunt omnes, non mirum si damnationi subjacent.*

XX XII.

Ad 4. resp. 1. At id Calvin. dicit cum Augustino, Becane, cur igitur illum potius quàm illum reprehendis? sed expone, quid reprehendas. Negabis à Deo ullos conditos esse, quos in exitum ituros esse, sine dubitatione præsciebat? Non opinor. Idem enim tu quoq; doces. Ergò displicet, quòd dicitur id ita factum esse, quia sic voluit. At Deus vasa iræ tulit adaptata ad interitum. Et, Salomone teste, *Jehova omnia fecit propter semetipsum, et iã impium ad diem malum.* Jam nega impium à Deo factum esse ad diem malum, quia sic voluit, aut desine Calvinum insectari. si dicas, Calvinum exitum constituere creationis finem & suspen-

spendere à mero Dei arbitrio, consideres velim, quæ Castellio-  
ni respondit lib. de occult. Dei provid. p. 735. ad art. 1. Atqui, in-  
quit, totum illud de maxima parte mundi & denudo puroq; Dei  
arbitrio fictitium est, atq; ex malitia tua officina productum. Et si  
enim quid toti humano generi futurum esset, Deus ab initio decre-  
vit, hæc tamen loquendi ratio nusquam apud me occurret; Finē  
creationis esse æternum interitum. De reliquis, Deo volente,  
proximè.

Ad Nobilissimum & literatissimum Virum,  
DN. GEORGIUM A LETTOUW EQUITEM PO-  
meranum, publicè disputaturum de Ecclesia.

**P**atria sepè viro magnum decus addit honesta:  
Et esse Civem magna laus Ecclesiæ est.

Olim nulla salus extra Arcæ claustra Noachi.

Extra beatitudo nulla Ecclesiam.

Certis insignita notis Ecclesia vera est,

EPISCOPORUM è quibus est SUCCESSIO,

Doctrina adjuncta est cui CONTINUATIO sana,

Deiq; iussorum pia Observantia,

Et sancto DOMINI verbo & exemploq; sacrorum

Mysteriorum consonans Liturgia.

O quàm formosum SANCTA est Ecclesia corpus,

Christo FIDE desponsa, fusca sit licet!

Corporis est hujus Caput idem Christus Jesus,

Unum caput: Biceps vale communio.

Membra hujus Capiti, viva & non mortua membra,

Agglutinata sunt Dei per SPIRITUM.

Hæc, CROCIO præcunte tibi, doctissime Lettouw

Edisserendo firmiter tueberis:


Nec tua laus parvos capiet cumulatio anctus,

Quam crebrior dedit tibi Disputatio.


Rodolphus Goelenius


Senior nunc

Decanus.




















5  
IV.

**ca genus non est ars nec prudentia.**

ut prolixi sumus, nulla flagitat nece sitas: unico igr  
ur: quicumq; habitus philosophicus non est practi-  
ca vitia & virtutes, circa contingentia, circa ea quæ  
adunt, illius quoq; genus esse nequit. Atqui Meta-  
phis habitus Erg. genus ejus prudentia esse nequit.  
t prudentiæ propria indoles, uti minore[m] ipsius  
a, quæ est mera theoretica seu speculativa. De arte  
dam movere ausi sunt, quibus opponimus hanc ar-  
ti non competit definitio artis, illius genus ars esse  
ysicæ non competit definitio Artis. Erg. Major  
tio generis competit speciei generi subjectæ, quia  
eò est corpus animatum sensu præditum. Minor  
one artis. Ars, inqt. Philosophus 6. Ethic. est habi-  
tfectivus: hoc a. de Metaphysica nemo sanæ men-  
theor. transe. disp. 1. th. 28. p. 10. quia habitus pra-  
yfica, quomodo ars erit? Cum omnis ars sit habi-  
es habitus practici: Forlan species alicui compe-  
genus illius speciei? quod ego non crediderim,  
omo sit & non animal. Hac ille. Artem contem-  
m Mart. part Metaph. l. 1. q. 2. f. 1. & Scharf. theor.  
p. 20. proclamamus σιδυρόζυλον. Nec juvat eum  
io, quam ex Luciano suo accurato illo definitore  
quæ quam perfecta & accurata sit, videatur Exc.  
b. 1. art. 3. f. 3. p. 10. Scheibl. Met. l. 1. c. 1. art. 2. n.  
p. 7. l. 1. quest. 1. & alii.

V.

**ca genus non est intelligentia.**

usio non aded sit apud Dd. Metaph. controver-  
a brevis ero: sicuti a. de scientia strictè ita dicta  
lided non possit esse genus Metaphysicæ, quia  
siones: ita nunc de intellectu dicimus, quod hic  
æ constituere nequeat, quia præcisè Principia  
mentum. Qui habitus in nudis acquiescit Prin-  
a. esse nequit. Ast intelligentia talis est. Erg. Ma-  
A 3 jor